

sicut homo triginta quatuor, vel quadraginta annorum, quamvis aliqui meditentur fuisse creatum quasi quinquaginta, vel sexaginta annorum illius temporis, quia tunc illa ætas erat juvenilis, eo quod homines decuplo quam modo vivebant. Illa autem fabella de proceritate primorum parentum quod erat tanta, ut mare pedibus transierint, quod ex aliis refert Moses Barcepha libro de paradiso, capite XIV, omnino est expungenda, quia profunditas maris altior est monte satis alto. Quis autem imaginari potest primos parentes fuisse sicut montes? Cum talis altitudo omnino excedat proportionem humanæ naturæ, nec commode posset cum aliis hominibus ordinariæ staturæ cohabitare, qui post ipsum nati sunt. Sed tamen giganteæ staturæ Adam fuisse alii autumant, inter quos est Joannes Lucidus, libro I de emendatione temporum, capite IV. Quod tamen crediderim, quia gigantea statura est monstruosa et per excessum improporcionata, dicitur enim Numerorum XIII: *Ibi vidimus monstra quædam de genere giganteo*; et constat quod nullo tempore gigantes fuerint reputati nisi aliquid rarum et monstruosum inter homines. Unde nec Christus Dominus giganteam staturam assumpsit, nec in resurrectione beatorum erit, qui occurrent in mensura ætatis Christi, ergo illa neque est perfecta, nec debita, et proportionata naturæ humanæ, ego neque in primo capite Adam ponenda. Nec obstat quod dicitur Josuæ XIV: *Quod in Hebron inter filios Enacim* (qui gigantes erant) *Adam maximus situs est*, ergo Adam fuit maximus inter gigantes. Sed respondetur quod si ille textus loquitur de primo parente non obligat non intelligere illum de maximo in quantitate molis, sed in qualitate, et principatu inter homines. Sed neque est certum ibi lo-

qui de Adam primo parente, quia nomen Adam commune est, sicut homo; de quo vide ea, quæ disputat in hoc puncto Baronius tomo I annalium, anno Christi 34, num. CXV.

XIV. Quod aliqui dixerunt primos parentes caruisse visu ante peccatum, quia dicitur quod cum peccarunt: *Aperti sunt oculi eorum*, apertissimus error est, nam ante peccatum vidit mulier lignum, quod esset bonum, etc. Et Adam vidit animalia, quæ Deus ad illum adduxit, et mulierem quam ei dedit. Dicuntur autem aperti oculi eorum non ad videndum, sed ad erubescendum de visu, cognito peccato.

FORMATIO MULIERIS EX ADAMO EJUSQUE MODUS, ET DISPOSITIO.

XV. Singularis fuit inter animalia, hominis formatio, quod prius voluit Deus virum producere sine femina, et postea feminam ex ipso formare, cum in reliquis animalibus formando, seu creando species eorum, simul utrumque produxerit sexum, ut multiplicarentur, et crescerent. Et sine dubio sacramentum hoc magnum est, ut Apostolus inquit, et matrimonii commendatio, in quo non solum ipsum generationis opus considerandum est, sicut in aliis animalibus, et impetus ille delectationis, quæ rationem absorbet, seu ipsa necessitudo, et cohabitatio domesticæ vitæ in qua feminam oportet subordinari viro ut capiti, et virum ipsam diligere ut proprii corporis consortem, et quasi propriam carnem, ut Apostolus inquit. Propter quas rationes, et propter significationem conjunctionis Christi, et Ecclesiæ, et propter alias, quas S. Thomas adducit infra q. XCII, art. II, conveniens fuit, mulierem ex ipso viro formari, et sic

ipsum prius supponere productionem.

XVI. Circa hanc ergo mulieris productionem, tria præcipue possunt inquiri. Primo, et principaliter circa materiam, de qua formata est Eva, quomodo sit facta de costa viri. Secundo, circa causam efficientem an immediate a Deo sit facta sicut Adam. Tertio, circa circumstantiam, cur voluerit Deus, ut prius videret Adam omnia animalia, et videret non inveniri similem sibi, et postea formavit ei mulierem.

XVII. Circa primum omnino affirmandum est mulierem vere, et realiter ex costa Adam esse formatam, nec intelligendum esse per metaphoram, ut videtur sentire Cajetanus super caput II Genesis. Sed vere et proprie formatam esse mulierem ex costa viri, unanimis est patrum, et expositorum intellectus: cujus manifestum signum est, quod non invenitur in patribus qui rem hanc aliquando non historice intellexerit et aliter factam mulierem dicat. Certe qui aliquid in Scriptura historice narratum, metaphorice accipit, oportebat aliunde declarare, quomodo res illa facta fuerit vere, et in re. Nullus autem dicere poterit, et designare, quo alio modo fuerit facta Eva juxta Scripturæ testimonium, et narrationem. Et ad quid servire poterat illa metaphora sub nomine formationis mulieris, si alias ipsam veram, et propriam formationem Scriptura faceret, nec declararet nobis quomodo fuisset facta? Igitur secundum Scripturæ narrationem dicendum est, vere et proprie mulierem factam esse ex viro, nec in hoc aliquam intervenire metaphoram, magis quam in aliarum rerum productione. Et formatur ratio sic. Mulier non metaphorice et improprie, sed vere et realiter aliquando facta est a Deo, alias nunquam esset mulier in rerum natura: sed non est

facta ex terra simul cum viro, scilicet quando formatus est Adam, nec postea legitur formata de terra, aut ex alia materia quam de viro, et costa ejus, ergo formatio mulieris vera et propria, et non metaphorica de viro fuit. Major per se nota est. Minor probatur. Nam quod mulier non sit simul formata cum viro, præter textum ipsum capituli I et II, id enarrantis, constat, nam dicitur expresse I ad Timoth. II: *Adam primus formatus est, deinde Eva*, ergo non simul: et Sapient. X dicitur: *Hæc illum qui primus formatus est pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit*; ergo non fuit creatus cum socia. Id etiam deducitur ex illo Pauli Actorum XVII: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ*. Si ex uno omne genus hominum, ergo etiam Eva est ex illo uno, atque adeo non simul creata cum eo. Denique, si simul esset creata Eva cum Adam, falso Scriptura diceret, quod non inveniebatur similis illi. Denique, quod postea non legatur formata ex terra, vel ex alia materia, sed ex viro, constat. Nam illa negativa, quod non legatur ex alia materia creata, manifestum est, quia non poterit assignari locus Scripturæ ubi id dicatur. Et mirum est quod non legatur usquam alia formatio Evæ quam ex viro, et tamen dicatur esse metaphorica. Ubi ergo assignavit Scriptura propriam, et veram formationem mulieris? An ex toto omisit? Cur ergo metaphoricam, et non veram formationem tradidit, propriam relinquendo? Affirmativa vero constat, quia dicitur Ecclesiastici XVII: *Deus creavit hominem de terra, etc.* et infra: *Creavit ex ipso adiutorium simile sibi*. Si ex ipso, ergo non ex alia materia, sicut quia dicitur Adam de terra creatus, non ex alia materia fuit. Item I ad Corinth. XI: *Non vir ex muliere, sed mulier ex viro*: et in

hoc capite II Genesis: *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Ubi non potest totum hoc accommodari metaphoræ; sed conjungendo aliis locis Scripturæ quæ cum isto concordant, totum pertinet ad historiam veram. Congruentiæ autem quas patres communiter tradunt propter quas mulier ex viro facta sit, optime colligit D. Thomas quæst. cxxii, art. ii, ubi videri possunt. Quod si de viro facta est mulier, etiam de costa viri facta est, quia id ipsum Scripturæ affirmat, et pro opposita sententia eadem difficultas est, quod fieret ex costa, vel ex alia corporis parte.

XVIII. Fundamenta Cajetanus nihil evincunt. Nam præcipuum quod ipsum movet est, quia si ex costa Adami facta est mulier, aut fuit Adam præternaturaliter creatus, si illam costam superadditam habuit, aut postea mancus, et defectuosus, si perpetuo ea caruit, quam ex natura rei exigebat. Argumentum hoc solvit D. Thomas dicta quæstione cxxii, art. iii ad ii, et dicit quod illa costa fuit de perfectione Adæ, non prout erat individuum quoddam, sed prout erat principium speciei. Itaque non reputat D. Thomas inconveniens quod Adam quia erat caput totius generis humani taliter quod ex illo tamquam ex uno principio omne genus humanum emanare debebat aliud haberet in corpore, quod non haberent alia individua, quia ad propagandum genus humanum modo consueto per generationem habebat seminalem materiam, quæ est residuum, et superfluum alimenti; ad producendam autem primam feminam quæ etiam ex illo uno derivanda erat, ei non poterat

per generationem fieri quia prima erat, habuit superadditam unam costam, quam alii homines non habebant propter illam specialem propagationem Evæ. Nec ista costa supernumeraria aliquid monstruositatis, vel deformitatis importabat, tum quia erat occulta, nec impediabat actiones Adam, ejusve magnitudinem notabiliter augebat. Et sicut non erat monstruosum ipsum esse caput omnium hominum, et omnis propagationis eorum, ita non erat monstruosum aliquid amplius habere in suo corpore, quod alii non haberent, pro illa speciali productione primæ feminæ quæ aliter ex ipso esse non poterat.

XIX. Licet autem non desint alii, qui dicunt illam non fuisse supernumerariam in Adam, sed unam ex his quæ necessariae sunt corpori, et in omnibus inveniuntur, tamen difficile salvant, quomodo Adam reliquo tempore vitæ non manserit defectuosus, deficiente costa illa sic necessaria, et de numero earum, quæ communiter in corpore inveniuntur. Dicere autem quod Deus supplevit postea illam costam restituendo illam, et quod supplevit carnem pro ea, sub carne intelligendo costam carne circumdatam, valde durum videtur, quia Scriptura non dicit supplevisse costam pro costa, sed carnem pro costa. Et non est fundamentum ad dicendum carnem ubi sumi pro costa. Nec sufficit dicere carnem illam sic fuisse roboratam a Deo, ac si esset costa. Nam si caro illa ita firma erat ac dura, sicut os quod est costa, jam non erat caro, sed os. Si autem non erat ita dura, et solida, debebat miraculose robur illud habere, et ab extrinseco, sicque quoad partem intrinsecam semper homo mansisset mancus, et defectuosus.

XX. Quod si inquiras: Quo pacto ex illa costa potuit tam grande cor-

pus fieri, cum in illa sufficiens materia non esset. Si autem aliunde suppleta, vel adducta est materia, ex illa fuit facta Eva, potius quam ex costa Adæ, et superflue costa illa dicitur fuisse materia corporis Evæ. Ad hoc etiam argumentum respondet D. Thomas citato loco ad primum, et supponit non posse multiplicari materiam, seu fieri majorem, nisi vel per additionem novæ materiæ, cui adjungitur nova quantitas, vel si manet eadem materia per hoc, quod majores dimensiones, seu situationes suscipiat sub eadem quantitate, quæ est per rarefactionem. Et cum in præsentī illa costa non sit multiplicata per rarefactionem, sequitur quod fuerit ei addita nova materia, vel per creationem, vel per conversionem alterius corporis, sicut cum Christus multiplicavit quinque panes in deserto. Et modo ommissa quæstione philosophica, an alio modo possit a Deo fieri multiplicatio materiæ, quam per additionem, vel rarefactionem, et admittendo hanc sententiam D. Thomæ, dicimus costam illam per additionem, seu conversionem alterius materiæ crevisse; unde utitur Scriptura verbo ædificandi, cum dicit: *Quod ædificavit costam in mulierem*, quasi costa fuerit assumpta tamquam fundamentum quæ per additionem materiæ crevit, sicut ædificium quod ex fundamento fit per additionem lapidum, vel laterum. Et tamen semper verificatur ex costa viri esse factam Evam, quia costa se habuit ut primum, et ut fundamentum, cui tamquam præexistentia alia materia per continuationem, et similitudinem ad illam addita est, sicut verificatur, Christum de quinque panibus pavisse turbas, licet multa alia materia illis primis panibus sit superaddita.

XXI. Dices: Scriptura dicit, quod

non solum Eva facta est ex costa, sed etiam ex carne Adam, dum inquit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, ergo non solum ex costa viri facta est mulier. Respondetur costam fuisse principalem illius formationis materiam, si quid vere carnis cum costa ablata est (ut multi sentiunt) quia non fuit nuda costa ablata, sed cum particulis carnis, illud fuit accessorium, sufficiens tamen ut diceretur caro mulieris esse ex carne viri. Si tamen nuda costa sine ulla carne ablata fuit ab Adam (ut alii existimant) dicitur caro facta de carne, saltem remote, quia costa illa carni adhærebat, et de carne trahebat alimentum, et sic quasi de carne videbatur facta, quia costa ex qua fiebat erat avulsa a carne, et de carne, ut ex termino a quo ablata, non de carne ut ex materia formata.

XXII. Levius est, quod Cajetanus objicit, quia Scriptura indicat Adam, et Evam simul esse formatos, dum cap. i dicit: *Et creavit Deus hominem ad similitudinem suam, masculum et feminam creavit eos.* Respondetur enim summatim ibi poni totam hominis formationem, quæ postea capite secundo distinctius explicatur. Unde non dicitur quod tunc, seu simul masculum et feminam creavit eos, sed absolute, et pro majori addicitur. Postea vero sigillatim explicatur, quomodo mulier formata sit ex Adam, et quod non erat bonum hominem esse solum, nec Adæ inveniebatur similis, et quod ex costa ejus mulier formata est.

XXIII. Circa secundam difficultatem supra propositam, scilicet de causa efficiente formationem corporis Evæ, dicimus eodem modo esse loquendum sicut de formatione corporis Adæ, et multo a fortiori id currere in formatione Evæ, scilicet quod fuerit immediate factum a

Deo, ut docet ex Augustino S. Thomas in hac quæstione xcii, art. iv, tum propter materiam ex qua facta fuit, tum propter modum quo facta fuit. Nam corpus humanum naturaliter solum potest fieri ex semine humano, et in matrice feminæ. Ex costa autem, seu osse, aut ex limo, corpus humanum facere, est supra totam naturæ virtutem, et pertinet ad potentiam creatoris; licet naturale dici possit, quia prima rerum institutio sic exigebat, ut a Deo immediate fieret, et ipsa res effecta in se naturalis erat. Ratione autem modi quo illud corpus formatum est, manifestum est a solo Deo fieri potuisse, quia et costa illa fuit ablata ab Adam sine dolore, et carne tunc de novo facta, suppleta est, et materia illa costæ multiplicata est per additionem, vel conversionem alterius materiæ in ipsam quod solum Deus facere potest. An vero corpus illud in instanti fuerit formatum, verisimilius videtur formationem corporis eodem modo fuisse factam sicut formatio corporis Adam, scilicet in instanti, quia eadem manu, et potentia factum est utrumque, et in ordine ad eundem finem, et secundum easdem circumstantias dignitatis. Ablatio vero costæ, et suppletio carnis pro ea, non ita apparet an sit facta aliquo motu, vel subita translatione costæ extra corpus Adam, utroque enim modo fieri potest, nec constabat nobis quem determinate elegerit Deus.

XXIV. Circa tertiam difficultatem, occurrit in primis dubitatio quomodo, et ad quid omnia animalia adducta sint ad Adam ante formationem Evæ, deinde quomodo Eva adducta sit Adam, si quidem ibi juxta illum videtur esse formata. Respondetur animalia posse intelligi adducta ad Adam, vel realiter per localem præsentiam ipsorum ad lo-

cum ubi tunc erat Adam, scilicet ad paradysum, vel repræsentative, et per species imaginarias, quibus singulæ animalium species distinctissime repræsentarentur ad hoc ut cui-libet suum nomen imponeret. Hoc secundum erat facilius, et ad brevitatem illius actionis accommodatius, præsertim si intra eundem sextum diem facta est (ut est certius) quia fuit ante formationem Evæ, nam revera si reali, ac successivo motu illa facta est, multum temporis oportuit consumi in tot speciebus videndis, ac nominandis, quantumcumque Adam vellet cito se expedire, et solum ex qualibet specie duas videret masculum et feminam, sunt enim infinitæ propemodum species animalium, et volucrum, et tamen cuncta dicit Scriptura fuisse adducta ad Adam. Et subdit: *Quod appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cæli, et omnes bestias terræ.* Certe si vel solum ex libro recitarentur omnia ista nomina vix sufficeret unus aut duo dies etiam lectori expeditissimo, quanto magis si id factum est, singula binaria animalium videndo, et nomen imponendo, et illis transeuntibus, aliis atque aliis. Unde videtur in hoc solo consumpta esse tota illa dies sexta si externo motu, et actionibus successivis facta est, et vix adhuc sufficeret. Et sic non restabat tempus pro sopore Adam, et formatione Evæ, et reliquis omnibus quæ hac die facta leguntur. Nisi forte quis dicat illo quidem die adducta esse ad Adam omnia animalia, et omnia Adam vidisse, et advertisse, quod omnia erant producta cum adiutorio, et societate ad generandum, se vero solum esse, et non invenit similem sibi. Cæterum appellationem nominum dilatam esse etiam ad alios dies, etiam post productam Evam, ut ipsa etiam videret quomodo vo-

canda essent animalia, et imperare illis posset. Neque enim Scriptura cogit ut totum illud factum dicamus. Et fortasse qui in hoc se firmeret, non facile ex Scriptura convinceretur.

XXV. Cæterum illud primum videtur magis commune inter expositores, scilicet quod illa adductio animalium ad Adam fuit per realem ipsorum præsentiam, licet non crediderim omnia animalia fuisse simul congregata ante Adam, oporteret enim maximum spatium replere, quia sunt infinitæ species animalium, bestiarum, serpentium, volucrum, et ex qualibet specie saltem bina fuerunt adducta, masculus, et femina propter rationem statim adducendam, sed transisse omnia ante Adam, et omnia vidisse, et in ipso transitu nominasse, atque ita non plus temporis consumptum est in nominando singula, quam in transeundo ante ejus aspectum. Nec erat necesse omnia transire lento passu, et unum post aliud, sed breviori motu, possentque simul decem vel viginti species transire, aut plures; unde tota illa actio paucis horis expediri potuit. Ratio pro hac parte est ipsa proprietas verborum Scripturæ, et patrum intelligentia, et quia nihil impossibilitatis, aut indecentiæ in hoc apparet: illæ enim imaginariæ visiones non sunt ita connaturales homini sicut experientiæ sensibiles: unde quantum possumus potius homini in sua prima institutione tribuere debemus notitias ex sensibus acceptas, quam in imaginationem, vel intellectum infusas, loquendo de exercitio scientiæ, nam species, et habitus per accidens infusos habuisse non dubitamus: Scriptura autem utitur verbo adducendi, dum dixit: *Quod adduxit animalia ad Adam*, quod verbum simpliciter positum significat motum, et præsentiam, localem non

imaginariam, aut intentionalem, sicut quando dicitur aliquis propheta adductus in visionibus Dei, Ezech. xl. Et patres non derivant intelligentiam horum verborum ad imaginariam præsentiam, sed simpliciter ea explicant, ergo intelligunt de reali adductione. Quæ nihil habuit impossibilitatis, cum ministerio Angelorum potuerint brevissimo tempore adduci. Nec indecentiæ, quia potius maxime congruebat prima homini principi, et præsidi universæ terræ, cui Deus omnia animalia subjecerat, omnium etiam obedientiam, et subjectionem experiri, et circa omnia aliquam regalitatem, et dominium exercere, sicut est nomina singulis imponere quibus ea vocare posset quando libuisset. Quod autem hoc non multo tempore potuerit fieri, v. g. tribus, aut quatuor horis, jam diximus, nec oppositum probat ratio allata, quamvis probet, non potuisse nos id facere nisi multo longiori tempore, sed tunc Deo disponente, et Angelorum ministerio adjuvante, cito potuit expediri.

XXVI. De fine autem propter quem omnia animalia sint adducta ad Adam, dicimus in Scriptura duplicem finem insinuari. Primus, ut videret Adam quid vocaret ea. Secundus, ut videns omnia animalia esse bina ex masculo et femina, se autem solum nec similem sibi inveniri, desideraret, peteretque a Deo sociam, velletque illam habere pro propagatione. Primus finis explicatur sic, quia cum Adam accepisset plenum dominium in omnia animantia, et ea sibi subicere deberet, ut dicitur capite primo, oportuit etiam singula nominibus insignire, et discernere, ut posset eis uti illisque imperare, aut vocare, sicut vocamus animalia domestica, et ut etiam posteris suis traderet notitiam singularum specierum anima-